



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Charitatis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

S P E I.

IN te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim aude- rem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confi- sus accedo ad te, ut ovis morbida ad Pastorem, ut infir- mus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corroboret & sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ, nam licet pec- cata mea plurima & gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura & graviora forent, si cum misericordia tua, & pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposta est to- ta fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei, & salva me, qui nun- quam deseris sperantes in te.

C H A R I T A T I S.

OQuanta vis amoris cor tuum succendit, Amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis! Grande quidem fuit & admi- rabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quod corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hac dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente,

fota virtute : atque utinam omni momento te ferventius semper amarem ! Hoc est ardens desiderium meum , huc feruntur gemitus mei , & suspiria cordis mei . Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ , dum te ipsum transfundis in me : dum quantum fieri potest me similem tui facis : dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno , sed pretioso corpore & sanguine tuo nutris , satias , & faginas . Pro hac tua ineffabili largitate amo te , Deus meus , & ut nunquam cessem amare te , amorem meum teipso inflamma , qui esca & pabulum amoris es . O ignis jugiter ardens , & nunquam deficiens , ure renes meos & cor meum , ut ardeant amore tui . Ignem venisti mittere in terram , accende illum & eventila , ut semper crescat . Te enim amabo , si amandi vires præbueris , & eo amplius amabo , quo uberiores amandi gratiam infuderis : nunquam tamen te amabo , ut dignus es .

DESIDERII.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum , ita desiderat anima mea ad te , Salvator meus Domine Jesu : desiderat , inquam , anima mea accedere ad te , teque offerre Deo Patri , ac de fontibus salvationis tuæ vinum lætificans in gaudio haurire . Sitio enim Domine , lassatus in via iniquitatis , sitio te Deum meum venam aquarum viventium , sitio sanguinem tuum , quem mihi in potum mirabiliter tribuisti . Ad te venio , & clamo post te liberator meus , esuriens & sitiens : miserere mei fili David , & da mihi panem tuum , da vinum quod miscuisti , ut refocilletur anima mea . Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus & inflammata desideria habere , teque semper sitire fontem vitæ , fontem sapientiæ , fontem æterni luminis , torrentem voluptatis . Utinam te semper esuriant cor meum panem Angelorum , refectionem animarum sanctarum , & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ ! Renuit consolari anima mea , donec suscipiam te omne bonum meum , Domine Jesu , quem